

1. Dantur prægustus viæ æternæ th. II. III. & IV. Itaque qui gustandi facultatem habent, ne gerant sese velut sensu carentes aut ratione. Sed quæ retro sunt, obliviscentes, ad ea, quæ priora sunt, seipso extendant &c.

2. DEUS est auctor prægustus illius. th. X. Hominum est, vel ideo in pretio habere bonum Θεόσθοτον: quod tanto præstantius est, quanto major est, qui donat.

3. DEUS sua bonitate ac favore gratuito impellitur, ad illum nobis concedendum. th. XII. Nostrum est, hinc agnoscere, quam suavis sit Dominis: ei gratias agere, ac celebrare nomen ejus.

4. Christus beneficium illud sua obedientia nobis promeruit. th. XIII. Amemus ergo illum, qui nos prior dilexit.

5. Confertur prægustus V. Æ. mediantibus verbo & sacramentis th. XVI. & LXIV Sint nobis proinde eloquia Dei dulcia, præ melle, & cunctis, quæ sensus oblectant. Nec pigeat meditari in lege Domini die ac nocte. Celebrentur cum devotione sacramenta, tanquam visibilia invisibilis gratiæ media.

6. Prægustus ille bis obtinet, qui conversi & cum Deo reconciliati sunt. th. XVII. Quod si terrena tibi multum placent, & curva sit in terras anima, cœlestium inanis: cogita, te alienum esse a Deo, eumque tibi adversum.

7. Possunt, qui semel prægustarunt beatitudinem, tamen perire, th. XIX. Itaque qui gustavit, ne efferratur animo: qui stat, videat, ne cadat.

8. Beatitudinis Prægustus Intellectu & Voluntate percipitur. th. XX. & XLVI. Pudeat vero eos, qui nesciunt animi imperio, corporis servitio uti, verum vitiis corporis animalium quoque una prægravant, & humi affigunt auræ divinæ particulam.

9. Diffunditur tamen prægustus ille ab animo in corpus, th. XXI. & XXIV. Itaque detur opera, ut corpus nostrum tanquam templum Spiritus Sancti sanctum sit, & membra nostra sint justitiae.